

Informatio negocij Anglorum.

Ad negocium Anglicanum quod attinet, duo potissimum consideranda uidentur. Vnum quod ea res ad infringendas Ciuitatum et incolarum Prussiae libertates maxime pertineat. Alterum, quod isthaec libera exterorum cum exteris negociatio, tam cum Regni, quam Ciuitatum et incolarum Prussiae, maximo incommodo et detrimento coniuncta sit, quod utrumq; sapientibus Argumentis demonstratur.

Primum enim ea est Ciuitatum et incolarum Prussiae inter se quasi genuina coniunctio, et antiquissima libertas quod cum peregrinis et extraneis quaecumq; mercium genera, in omnibus Ciuitatibus libere soleant exercere, uicissim autem nulli extraneorum cum extraneo, sed saltem cum ciuibas et incolis negociari liceat.

Hoc iure Prussi utuntur, non solum ultra hominum memoriam, sed insuper tam longo retro tempore, quo uel longissima consuetudo et praescriptio usurpari possit, quam utiq; perpetua, pacifica, et nunquam interrupta possessio, optimo iure confirmat, et ab omni contraria impetitione iudicat.

Hanc libertatem quoniam Elbingenses cum caeteris Ciuitatibus communem, non autem soli propriam habent, necessario consequitur, quod usum sui iuris abicere quidem liberum illis sit, extraneis autem cedere, eosq; in comunione publica libertatis recipere absq; caeterorum quorum interest, consensu, imo cum eorum damno et prauidicio minime possint. Neq; certe exemplum uspiam extat in terris Prussiae liberam eiusmodi negociandi facultatem ullis unquam extraneis, nisi forte per abusum aliquem

fuisse concessam. Quamuis enim glorientur Angli, olim Ordinis tempore, eam sibi libertatem indultam fuisse, nunquam tamen hoc probare potuerunt imo contrarium etiam in Actis publicis, quod scilicet hoc ipsum ut obtinerent Angli, saepius ac saepius Ordinis tempore tentauerint quidem: Verum cum Cruciferi satis intelligerent illorum postulata cum summa ac certissima subditorum suorum pernicie coniuncta fore, non solum ea prorsus repudiarunt, sed etiam, quoties subditorum iuribus et libertatibus in Anglia derogaretur, tota Prussia Anglis interdixerunt, donec in integrum subditi restituerentur. Acposito, quod tale quispian proferre possent, authenticum tamen esse non poterit. Siquidem manifestis indicijs constat, quod in uarijs actionibus olim inter Anglos et Prussos, ratione commerciorum habitis, scripta quadam hinc inde fuerint proposita, quibus modus aliquis earum libertatum determinaretur. Ea autem ad effectum perducta et authenticis scriptis communita fuisse. Actis publicis minime continetur, donec tandem Anno 1473. conuentio Traiectensis utrinque acceptaretur. Itaq; licet Anglis in Prussia negociari, et commercia exercere, tam Elbinga, quam alibi, more tamen consueto, cum ciuibus et incolis, prout ceteris Extraneis ius est, et uti Conuentio Traiecten. Ultimo concepta et conclusa demonstrat in qua nihil de speciali quopiam in Prussia Priuilegio, ne uero quidem excipitur, Nec Anglia alia libertas, quam qua antiquitas usi gauisig, fuisse, reseruatur.

Præterea inceptum istud eo etiam est iniquius, quod Angli, cum Prussia Ciuitates et incolas libertatibus et Priuilegijs ante du,

centos et amplius annos in Anglia optimo iure comparatis, non ita
pridem demum uti prohibeant, et omnium illic commerciorum libero
usu penitus excludant nunc etiam ultro sese ingerunt, et onem
lapidem mouent, quo domesticas etiam illorum libertates euertant.

Incomoda uero, quae ex hoc Anglorum instituto, tam ad Polonia
regnum, quam terras Prussia redundabunt, adeo sunt perspicua,
ut multis uerbis non indigeant.

Primum enim monopolij exercitium Anglos hoc pacto instituire,
palam uel illorum postulatis apparet, cum se solos uolunt esse com-
merciorum omnium arbitros, et ea comecia ad unicum locum, et ad cer-
tos saltem mercatores sua societatis restringunt, unde constat, tam
Regni quam terrarum Prussia incolas, atq; adeo ceteros extraneos
omnes, Anglos autem reliquos, pristina sua libertate priuari, qua
hi collega sibi solis uendicare nituntur.

Deinde periculosi res exempli est, quod magis etiam monopolij
studium detegit, quod mercibus pro suo libitu leges dicere uolunt,
et pro ratione temporis comecia uel abrogare uel sancire. Prout
inter sese iam antea ipso facto statuerunt, ne uel minoris quisquam
uenundaret merces ex Anglia adportatas, uel pluris emeret merces
ex his regionibus rursus exportandas, quam ab ipsorum collegio pri-
us collaudatum esset atq; edictum. Quod nihil est aliud, quam
omnes Regiae Mti subditos in ordinem cogere, et pro suo arbitrio
et comodo mercibus usum ac precium, quantum ipsis uidebitur, con-
stituire. Quod etiam legibus iuris comunis interdictum est.

Cuius generis etiam illa sunt ex ipsorum statutis: Ut pannorum
et aliarum mercium Anglicarum, non quantum quisq; desiderat
sed certum numerum aut quantitatem importet, neq; alijs, quam

certis et statutis temporibus mercimonia diuendat: Item
ne quisquam sociorum usquam merces suas aut distrahatur, aut
alibi traducatur, aut emptas recipiat, nisi in loco monopolij
ubi consederint: Ut item licitum non sit Anglis Mercatoribus
alibi quam Elbinga domicilium habere: Eiusmodi uero leges
et statuta tam exteris quam incolis figere ac resigere, cum in
Regno Polonia nunquam auditum est, tum facile intelligi
potest talia futura processu temporis isthaec statuta, quae per
multum Anglis inseruiant, plerisque autem Regni et Prussiae
incolis maxime incommodabunt.

An etiam expediat exteris licere, ut in locis alterius iurisdictionis
subiectis sibi ipsis ius dicant, et peculiarem iuris ordinem praescribant,
nunc quidem in medio relinquatur. Illud autem dubium non est,
quin auctoritati Regiae, et publicis legibus per multum derogat,
quod Elbinga Angli iurisdictionem non tantum in suos, sed etiam in
extraneos et subditos Regios desiderare uidentur, si in abusum res
deuenerit: quia uerendum est, ne quod nunc Actoris arbitrio
committitur, successu temporis ad exemplum et consequentias
producat.

Monopolij fundamentis hoc modo substructis, quid inde necessario
consequatur, nemo non intelligit, cum omnes omnino nationes, quae
extra patriam negotiantur, non eorum quibus, cum comercia
exercent, sed sua lucra et compendia sectari consueuerint.

Atque hoc inde etiam apparet, quod iam ab eo tempore, quo
Angli Elbinga mercari coeperunt, in more habuerunt, ut cum merces
in his Regionibus pro arbitrio suo comparare non possent,
pecunias ex diuenditis mercibus suis collectas, optimo quoque

...auro uel argento permutarent, et illud omne in Angliam trans,
mitterent.

Quod eò cum maiori harum regionum incommodo fit, quod in
Angliæ regno contraria lege cauetur, ne quisquam inde numeratâ
pecuniam præter quotidianum Viaticum exportet.

Cum tamen a Regni Polonia subditis, uel merces ex hisce pro,
uincijs in Angliam transuehi, uel argentum literis cambiorum
magno cum emolumento commutari hac Tenus obseruatum fue,
rit. Quoniam igitur Angli merces Anglicanas ad hanc solum so,
cietatem contrahant, suo arbitrio dispensare uelint, hoc modo Ci,
uitatibus et incolis Prussia, primam et præcipuam crescendi, au,
gendiq; sui occasionem ex earundem meraum negotiatione præclu,
dunt, et sibi solis mercaturam istam exercere, et Anglicanam na,
uigationem Prusis penitus exclusis, soli maxime usurpare nitun,
tur. Neq; solum penes Anglicanas merces incommodum istud hæ,
rebit, sed generaliter inde futurum est, ut quam subditi Regij ex
omnium exterorum comærcijs utilitatem capere consueuere, ea tota
ab Anglis præripiatur.

Mercibus ergo plerunq; omnibus ad se contractis, et ad lucrum suum
reuocatis, ipsa ratio dicat. Anglos ditari, subditos autem Regios
mercimonijs destitutos paulatim exhauriri. Hoc enim om,
nino subsequetur, quod Angli secundum leges quas sibi met ipsi præ,
scribunt, suo arbitratu præcia, non tantum suis mercibus ex An,
glia asportatis, intollerabilia maximaq; imponent, uerum etiam
æstimationem earum mercium, quas uicissim a subditis huius
Regni coemere uolent, minorem constituent, atq; adeò utrinque
exuenditionibus emptiombusq; sibi lucrabuntur. Quod quidem in,
clitum Polonia Regnum etiq; incorporate Prouincie, suo maximo

iam nunc experiuntur malo. Nam ex quo Mercatores Prusici
a negotiatione Anglica fuerunt exclusi, precia pannorum
Londinensium singulorum ad decem et plures florenos excreue-
runt, ut iam de alijs mercimonijs sermo nullus habeatur.

Hinc necessitate inuitabili futurum est, ut Angli paulatim
mercium Anglicarum curitatem in hoc Regnum inuehant, omni-
um subditorum opes corradant, Regnum euacuent, et in gentes
thesauros & incolarum et Ciuium ruinis comparatos secum
afferant. Quippe si quæ aduersa atq; grauiora huic Regno
tempora immineant, collectis Regni diuitijs, ad suos locuple-
tiores redibunt. Subditi uero, nec quod ad publicam neces-
sitatem conferant, habebunt, nec emergere ulla ratione poterunt.

Quibus in summa rei familiaris difficultate ad inopiam reductis,
quis tandem eorum, laborante Republica contributionis onera
sustinebit? Siquidem illi, qui opes undiq; contractas alio con-
uertunt, nihil in publicas necessitates erogabunt: hi facultati-
bus exhausti: parum facere poterunt.

Ciuitates sane in Prussia præcipuæ super commerciorum liberta-
te antiquitus fundatæ sunt, ut inde maiores consequerentur ner-
uos ad rem publicam, quando opus esset subleuandam, qua liber-
tate erepta, fieri non potest, ut in statu suo diu consistant.

Et in uniuersum nemini dubium est, quin Regni totius intersit
ut facultates subditorum potius quam exterorum indies augeantur:
ac opes et utilitates ex mercimonijs prouementes, domi sint po-
tius, quam fores exportentur. Illud etiam nequaquam negli-
gendum est, quod hoc Anglorum instituto, nauigatio ex terris
Prusiciæ, quæ ad Maiestatem Regiam spectant, iam dudum
celeberrima, nunc paulatim fit in frequentior, eoque modo Polonice

Regnum quam plurimis commoditatibus, quæ ex navigationis
subditorum exercitio, et transmarinarum regionum commercio
prouenire solent, plane destituetur. Neque uero magnum in
eo uersatur incolarum Regni commodum, uti uulgo uidetur, quod
Elbingæ pannos Anglicanos expeditius sibi comparare possint,
et quasi mercandi delectum habeant. Eodem enim uel etiã
uiliori præcio Gedani uel alibi emere possunt. Multo uero ma-
ioris æstimandum est illud in commodum quod euenit, cum An-
gli soli in commercijs regnabunt, et ut antea dictum est, pro ar-
bitrio mercibus suis præcium constituent, postquam bene prospe-
xerint, ne alibi quam Elbingæ merces Anglicanæ comparari possint.
Quæ sane totius Regni incolarum seruitus esset, minime tolleranda.
Quantillum autem hoc est, quod omnibus Ciuibus Elbingensibus
eandem libertatem in Angliæ Regno, uel etiã maiora promittunt?
cum non ignorent, eos, uti parum illic negotiantur, ita in euehen-
dis panniæ uel alijs mercimonijs Anglicanis non multum ipsis ob-
futuros. Inimvero Elbingensibus æque ac cæteris Prusiciæ Cui-
tatibus harum in Angliã libertatum Jus iam dudum competit, nec
opus est, ut denuo tanti illud amant. Quin etiã hoc inter u-
trunq; interest, quod Ciuitatibus Prusiciæ Anglicæ libertates nõ
precario nec ex mera gratia, sed pro benemeritis erga Anglica
Regnum proq; multis et grauibus impensis concessæ sint: Angli
uero nihil tale, neque de Polonia Regno, neq; de Prusiciæ terris
publice unquam promeriti, pares nihilominus immunitates con-
cupiscant, et Elbingæ interim maiorem etiã quam ipsi Cui-
tates habent, omnium fermõ rerum libertatem comparare sibi studeant.
Quæ res uniuersis Regni incolis possit esse documento, monopoliã
illud nec ad Regni commodum quodpiam, nec uel Elbingensium

nec cuiusuis alterius Ciuitatis, uel incolarum Prussiae utilita-
tem institui, sed ad priuatum saltem Anglorum compendium
et lucrum desinari.

Faq; de causa Anglorum postulata non tantum cum in signi-
publici iuris atq; Regiae dignitatis diminutione coniuncta esse,
sed etiam cum maximo et irrecuperabili subditorum omnium
damno, et comprimis caeterarum Ciuitatum Prussiae exitio
certissime paulo post consequuturo.

Tandem etiam Ciues Gedanenses quibus maxime praeceteris
omnibus per hoc monopolium incommodatur, Regie Maestatis do-
mino suo Clementissimo non possunt non humiliter ad ami-
num reuocare, quod in nouissimis tractationibus Clementissi-
me recepit, Ciuitatem illam reipsa perspecturam, id cum ad
Maeiastatis suae benignam propensionem non exiguam ac-
cessionem fecisse, tum ad propria Ciuitatis commoda au-
genda plurimum etiam pertinuisse praesertim ubi Ma-
iestas sua re ipsa ostendisset Regno et Respub: ipsi
expedire, ut in Gedanensem potissimum praeceteris Ciui-
tatem omne genus mercium ex regno deuehatur, deniq; ut
ibi commerciorum cum transmarinis nationibus tanquam
unicum horreum aliquod et publicas sedes collocetur.

Rescripsit etiam Clementissime Regna Maestas in
Groduca Responso, quod negociationem, quae contra pub-
lica Terrarum Prussiae iura moremque ac consuetudinem ma-
iorum Elbingae ab Anglis exerceatur, iam tunc sine ulte-
riori mora prohiberet. Quae fiducia potissimum freti Ge-
danensis Ciuitatis Ordines tractationes illas in humilimum
Maestatis obsequium tandem conducerunt. Quapropter

aquissimum fuerit si Regia Maiestas benignissime existi,
met, ad curam et sollicitudinem suam pertinere, quibus po,
tissimum modis, in augenda re familiari, et redintegrando
frequentiori commerciorum exercitio, quod hactenus uehe,
menter diminutum fuit, Ciuitas illa possit adiuuari. &

Accedit ad haec, quod Regia Maiestas non ita dudum uniuers,
salibus hris suis in Prussia publice promulgauit (quas status
Terrarum ut pote libertatibus suis consentaneas acceptarunt) &
ac statuit, ut priuilegijs quibuscunq; si qua forte contra ius pub,
licum, ac prisca Ciuitatum ac Terrarum Prussiae iura et priuile,
gia emanarint, non obstantibus, nemo post hac peregrinorum,
contra iura et priuilegia Terrarum Prussiae ulla in ciuitate locoue
alio negotia exerceat.

Quibus omnibus cum ex diametro repugnet Anglorum apud
Elbingenses institutum, Gedanenses pro sua parte, et eo quod
ipsorum interest, (interest autem quam maximè) humil,
mis precibus obsecrant, ut Regia Maiestas Ciues et incolas
prussiae sua penes antiquissimas libertates clementissime conseruet,
et quod infidelium subditorum calamitatem et perniciem An,
gli moliantur, ad effectum perducere minime sinat, sed plurius potius
facere suorum subditorum fortunas dignetur, quam ut in exterorū
quorumque gratiam, eas tantopere per hoc monopolium labefac,
tari patiatur.

